



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendivm Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanvelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

Conceptio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

72 C O N C E P T I O.

municationis, etiam tunc temporis,
quando sunt ubique Episcopi, cum
non cesset functio legationis. *zr. II.*

Episcopus potest agere contra
Religiosos, qui Sacraenta prohibita in *supradicta Clementina* ad-
ministrant, usque dum sua priuile-
gia probarint; nisi illa sint fatis com-
munder nota, ut in Religiosis In-
diarum; alias faceret illis iniuriam.
art. I 2.

Episcopi, aut alij Clerici Epi-
scoporum Ministri, impediētes Re-
ligiosos ab usu priuilegiorum iam
probatorum, incident in excom-
municationem Papæ reseruatam;
ibidem.

Religiosi possunt administrare
omnia Sacraenta suis famulis, qui
morantur intra claustra, & etiam
degentibus extra claustra, quoad
forum conscientiæ, oraculo viua
vocis *Pij V. art. I 4.*

C O N C E P T I O.

COnceptam fuisse B. Mariam cum
peccato, aut sine illo, licet in
particulari tenere sine offensa, immo
disputare in Scholis, quando abest
scandalum. *tom. I. q. 57. art. 2.*

In

In publicis concionibus conantes probare rationibus fuisse conceptam cum peccato, vix excusantur à mortali, aut veniali, non quidem ratione veritatis, aut falsitatis dicti, sed ratione scandali probabilius imminentis, præsertim in Hispania, Gallia, & alibi, ut patet experientia. Nec tale scandalum est Pharisaicum, aut ex malitia, sed pusillorum, imò piorum, & simpliciter credentium. *ibidem.*

Licet non sit peccatum, suadere rationibus non esse conceptam cum peccato, tamen non expedit, quia est ponere in opinione, quod omnes simplices putant communiter esse de fide. *ibidem.*

Qui publicè quomodolibet affirmant, alterutram opinionem esse hæreticam, aut erroneam, in excommunicationem Sixti IV. incidunt, quam approbat & innouat *Concil. Trid. sess. 5 canon. ultimo, art. I.*

Iudem Sixtus condemnauit opinionem dicentium, Romanam Ecclesiam celebrare festum spiritualis tantum Conceptionis, & sanctificationis B. Mariæ. *ibidem.*

74 CONCEPTIO

Leo X. concessit indulgentiam plenariam Fatribus Minoribus dicentibus Missam Conceptionis, & oratibus in ea pro sua sanctitate, & vniuersali Ecclesia. Quam postea ampliauit ad omnes Fratres & Sorores eandem audientes. art. 3.

Sixtus V. ordinauit quod omnes & singuli Christi fideles, vtriusque sexus, qui Missam & officium festis Conceptionis Beatæ Mariæ cuius initium est, *Sicut lilyum, &c.* in ipso festo celebrauerint, aut dixerint, aut illius Horis Canonicas interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam consequantur, quam *Urbanus quartus, Martinus quintus, & alij Romani Pontifices concesserunt illis, qui Missam, Officium, & Horas Canonicas, in festo Corporis Christi à primis Vesperis, & pro illius Octaua (iuxta Romanæ Ecclesiæ institutionem) celebrant, dicunt, aut Missæ officio & Horis eiusmodi intersunt ibid.*

Sixtus V. concessit omnibus & singulis Monialibus Conceptionis Beatæ Mariæ, ac omnibus vtriusque

C O N C E P T I O . 75

que sextus Christi fidelibus , confessis , & sacra Communione refectis, qui singulas, vel quamlibet Ecclesiarum Monialium eiusmodi in festo Conceptionis B. Mariæ visitauerint , & ibi pro pace inter Christianos Principes conseruanda, sanctæ matris Ecclesiæ exaltatione, hæresumque extirpatione orauerint, indulgentiam plenariam , ibidem.

Leo X. concessit viris deferentibus imaginem Conceptionis Beatae Mariæ , & Mulieribus Scapularium eiusdem Ordinis cum prædicta imagine , easdem gratias , quas consequuntur deferentes chordam Fratrum Minorum , & corrigiam Sancti Augustini , tunc concessas,
art. 4.

Licet in festo Conceptionis celebrare officium solemniter , sicut in aliis solemnioribus diebus tempore interdicti , pulsatis campanis , & apertis ianuis , exclusis tantum culpabilibus. Imo etiam tempore cessationis à diuturnis. art. 3.

C O N